

respectu cuiusdam dispositionis ad gratiam. Dico ergo quod concedi potest de Circumfione, quod ibi imprimatur character aliqui; sicut in baptismo. Ita enim erat prima iuxta salutis in lege Moisaica; sicut baptisimus in nova. Et cum arguitur, quod tunc circumfio non esset baptisimus, nego consequentiam. Ad probationem potest concedi, quod character ille esset ejusdem rationis cum characteris baptisimus, vel alterius. Quod si ejusdem, vel non imprimatur character per baptismum susceptum a circumfio, sicut in subiectum habens aliquam formam, non imprimetur iterum talis forma etiam a cania, quae alias nata esset imprimere talem formam; & hoc ideo quia subiectum non est in potentia, sed jam in actu secundum illam. Vel si imprimetur in baptizato aliis ejusdem rationis, nihil inconveniens, saltem si character ponatur relatio, ut dictum est de relationibus *distinct. 8. l. 3.* Vel possit dici illum characterem circumfionis differre ab illo baptisimo, sicut imperitum a perfecto, quem admodum gratia hujus differret a gratia illius, & tunc in susceptione baptisimi prius circumfio non imprimere novus character, sed primus pertineret. Ad secundum dico, quod non omnis perfectio in anima habet t. l. signum rememorativum perpetuum: sed illa potest quam constituitur habens eam in aliquo determinato gradu in Ecclesia; hujusmodi non sunt virtutes, quia sunt communes omnibus membris in quocunque gradu: sed Sacramenta & Ordinis, prout dicitur in sequenti quaestione. Ad tertium patet ex solutione quae rationis pro opinione procedente; non enim est character indelebilis, nisi comparando ad potentiam creaturæ, & ad divinam potentiam ordinatam.

### QUAESTIO X.

*Virum character sit aliqua forma absoluta?*

**A**D secundum sic proceditur. Et arguitur, quod character sit forma absoluta. Quia secundum Philo. 2. *lib. 11.* tria sunt in anima, potentia, passio, & habitus. Character non est potentia: patet, quia non est naturaliter in ipsa anima. Nec est passio, quia est forma permanentis. Nec habitus, quia habitus est secundum quem habent bene, vel male potest operari: character non est principium alicujus operationis bonæ, vel malæ. Non bonæ, quia potest stare cum peccato mortali. Non malæ, patet, quia est donum Dei, & effectus Sacramenti; ergo si illa divisio Philosophi sufficienter evayet formam absolutam in anima, sequitur propositum.

Item, si esset forma absoluta non potest poni, nisi de genere qualitatibus, patet discutendo per alia genera: non est substantia, quia advenit post esse completum substantia: non enim est quantitas, patet, quia forma spiritalis, & incorporea; & sic discutendo de aliis, qualitas autem poni non potest. Probatur discutendo per species qualitatibus. Præterea, forma absoluta habet aliquam operationem propriam;

primam: character autem non habet aliquam operationem propriam; ergo &c.

Præterea, forma absoluta accidentaliter quæcumque est delebilis ab illo in quo est: quia ab eodem potest deleri de subiecto, a quo imprimitur in subiectum; sicut a Deo: quia ex quo est posterius suo subiecto, non est contradictio quod non insit; character simpliciter est indelebilis: ergo &c. Oppositum, character est dispositio ad gratiam; gratia autem est forma absoluta; ergo & ista forma, quæ est dispositio ad eam, erit absoluta. Nam dispositio propria videtur esse ejusdem generis cum forma, ad quam disponit.

Præterea, character est principium assimilandi baptizatum Christo, vel alteri baptizato: Similitudo autem est unitas fundata in qualitate ergo character est qualitas.

Hic dicitur, (a) quod character est forma absoluta: ad quod adducuntur quatuor rationes. Prima talis est: Mutatio non est, nisi ad formam absolutam, ex. *1. p. 7.* Ad characterem est mutatio: patet in sic baptizato, qui nihil novum accipit in baptismo, nisi characterem. Secundo sic: Relatio non est fundamentum relationis, quia tunc esset processus in infinitum: sed character est fundamentum multarum relationum: est enim fundamentum similitudinis ut est argutum; & etiam fundamentum illius relationis, quam importat signum, quia character est signum rememorativum respectu Sacramenti suscepti. Est etiam fundamentum configurationis, sive obligationis ad Christum.

Tertio sic: Relatio non est potentia aliqua, neque activa, neque passiva, quia neque principium agendi, neque patientiæ; character autem est potentia aliqua, ut patet characteris baptismi est potentia passiva, per quam homo fit capax aliorum Sacramentorum: Character autem ordinis est potentia quaedam activa ad multos actus sacros in Ecclesia: ergo &c. Quarto sic, in quolibet Sacramento cuiuslibet aliqua relatio ad actionem, vel passionem in anima suscipiens Sacramentum, & tamen non in quolibet imprimitur character; ergo character non est talis relatio: ergo aliqua forma absoluta.

Contra istud & primo contra opinantem ex dictis ejus, quia contradicit sibi: ipse enim dicit hanc esse definitionem characteris. Character est signum communionis fidei, & sanctæ ordinationis datum a Hierarca, vel quod est signum communionis divinatorum, & sacra ordinationis fidelium. Quomodo concipiatur, vel sic definitur, dicit quod signum ponitur in definitione characteris ut genus. Ex hoc arguitur, quod character non potest esse forma absoluta, quia ad quidditatem formæ absolute non pertinet essentialiter aliquis respectus, quia tunc illa quidditas esset ad se, & non esset ad se: nec etiam potest dici quod relatio ponatur ibi tanquam genus, & non ut verum genus, quia hoc modo in definitione accidentis ponitur subiectum; patet.

K 4

ret autem quod relatio non est subiectum absolutum, nec etiam ratio receptiva.

Præterea, sicut non sunt ponenda plura sine necessitate, ita quando aliquid ponitur præcise; propter aliquid, non est illud ponendum perfectius, quam requiritur ad illud aliud, vel quam possit ex illo alio concludi: nam illa perfectio ulterius, quæ poneretur, frustra poneretur, sed propter illa omnia propter quæ ponitur character non est necesse, quod sit perfectio absoluta: possunt enim illa omnia etiam salvari sufficienter, si sit forma aliqua relativa; ergo superflue, & sine causa ponitur esse forma absoluta. Minor patet solvendo rationes. Prima enim accipit maiorem falsam, quod probò dupliciter. Primo per rationem. Secundo per advertitatem. Primo sic. Respectus non potest magis intrinsece advenire fundamentum, quam quod necessario sequatur ipsam positum termino, quia omnino non potest inesse fundamentum circumscripto termino, quia tunc non esset respectus, sed forma absoluta: ergo si aliquis respectus potest extrinsecus advenire fundamento, sequitur quod non necessario sequitur fundamentum etiam termino posito: ergo ille respectus potest esse novus omnino sine novitate fundamenti, vel termini: ergo ad ejus esse novum potest esse aliqua mutatio, quia non est ad aliquid absolutum: quia si dicas respectum aliquem advenire extrinsecus subiecto, non tamen fundamentum, hoc nihil est, quia relationes intrinsece, utpote similitudo, quæ consequitur abedinem & hujusmodi, possunt extrinsecus advenire subiecto, quia fundamentum de novo advenit; ergo si ille sunt intrinsece & aliæ extrinsece, erit differentia earum in comparatione ad fundamentum.

Præterea, agens naturale non potest agere de novo, nisi aliquid ponatur novum, vel in ipso, vel in passio, vel in habitu nova eorum (hoc apparet, quia omnibus istis uniformiter se habentibus, uniformis erit actio, cum tale agens agat ex necessitate naturæ) ergo si aliquid agens naturale habet aliquam actionem novam, vel erit aliqua forma absoluta ante istam actionem novam in agente, vel alia nova in passio, vel habitu nova agentis ad passum. Sed nec primum, nec secundum est necessarium: potest enim ignis de novo agere in lignum absque hoc quod ante istam actionem ignis recipiat novam formam, vel lignum, quia prima forma absoluta, quam recipit lignum, est per istam actionem; ergo est nova habitudo ignis ad lignum absque omni novitate forme absolute. Hoc patet experimentaliter, quia activo eodem modo se habent secundum potentiam activam, & passivo secundum potentiam passivam proximum, si fuerit aliquid impedimentum interpositum inter ista. non agit istud agens in passum: amoto autem illo impedimento, vel oblatum agens: ergo est ibi nova habitudo agentis ad passum sine nova forma absolute.

Istud probatur ex intentione Philosophi s. Physicæ, quia licet agere motum esse in *Ad aliquid*, prout ad genus *Ad aliquid* pertinent relationes intrinsece advenientes, non negat tamen motum, vel mutationem esse in *Ad aliquid* extrinsecus advenientes, immo concedit:

concedit enim in genere ubi esse motum proprie, & tamen ubi non est, nisi respectus quidam corporis circumferentibus ad locatum, vel locati ad corpus circumscribens. Secunda ratio etiam habet maiorem falsam, scilicet quod relatio non potest fundare relationem, quia secundum Euclidem s. *Geometria* in principio, proportionalitas est similitudo duarum proportionum: ergo super proportionem, quæ dicit formaliter relationem, vel super unitatem quæ fundatur similitudo. Esti arguas, similitudo est unitas in qualitate secundum Philosophum. *Metaph.* Respondeo, & si uno modo quid, approprietur generi substantiæ, & eodem modo *idem*, & *diversum*, quæ consequitur quid, inquantum quid fundatur in substantia; & æquale in unitate quantitatis stricto acceptæ. Simile in unitate qualitatis: tamen alio modo accipiendo, in omni genere invenitur quid, accipiendo rem illius generis præcisiuissimè, & invenitur quale accipiendo formam in illi genere in ratione formæ, & invenitur quæritas virtualiter, & sic in omni genere invenitur *idem*, *simile*, & *æquale*. Hoc modo enim possunt habentes relationem unius speciei dici similes secundum unitatem unius relationis, sicut habentes eam formam substantialem secundum speciem, possunt dici similes secundum substantialem, Et quod adducitur de secunda relatione, quæ fundatur in characterè, scilicet signi. Respondeo, si signum est secundum Augustinum de doctrina Christiana, quod præter notitiam quam ingerit sensibus, aliud facit in cognitionem venire (quod verum est non solum de signo sensibili accipiendo sensum strictè pro sensu corporali: sed verum est etiam de sensu incorporeali, accipiendo sensum generaliter pro potentia cognitiva) tunc dico, quod nihil est ex cuius cognitione non possit deveniri in cognitionem alterius, saltem ut ex cognitione posterioris in prius, quia illud posterioris possit dici signum, & sic concedo quod super relationem aliquam realem potest fundari relatio signi ad aliquid prius: sed talis relatio non potest duci in cognitionem sui, sed æquæ alterius; & hoc modo si quis videret paternitatem in suo fundamento, possit esse signum rememorative unius actus generationis præteriti; & illo modo in proposito, & maxime non est hoc inconveniens, quia illa relatio signi non est nisi relatio rationis, loquendo de signo instituto ad placitum, cuiusmodi est character respectu suscepti Sacramenti. Quod additur ibi de relatione coniugationis, sive obligationis, non cogit: potest enim religiosus pro votum religionis obligari ad servandum religionem, & qui facit homagium per actum faciendi homagium obligari domino suo, & universiter in talibus per promissionem præcedentem, & tamen non est ibi aliqua forma absoluta, super quam fundatur ista obligatio, nec forte aliqua relatio, nisi rationis, & ita abundanter possit salvari ratio obligationis, si poneretur relatio realis, sicut illatio in illo potest esse fundamentum alicuius habitudinis illi ad patrem, & tamen obligatio ad dilectionem naturalem, est possibile esset filiationem solum esse.

Et ad istam probationem, quod tunc esset processus in infinitum in relationibus. Dico quod non valet de rebus relationibus, quia ali-

quod est relatio ultima, in qua non potest fundari alia realis, sicut aliquod est accidens ita ultimum in entibus, quod non potest ulterius esse subiectum aliter accidentis, & ideo non sequitur, si accidens, potest esse in accidente, quod in accidentibus est processus in infinitum. De relationibus tamen rationis, bene concedo, quod ibi potest esse processus in infinitum, quia quilibet relatio five realis, five rationis potest ulterius iudicari aliam relationem rationis. Tertia etiam ratio non valet, quia vel equivocatur de potestate, vel habet unam propositionem falsam: si enim accipitur potestas simpliciter ad alium quem actum, qui sine illa potestate simpliciter non potest haberi; sic ergo characterem esse potestatem. Nam baptizatus in nullum actum simpliciter potest, in quem non potest non baptizatus, & hoc sive loquendo de actu in quem potest active, sive de actu quem quodammodo potest ab alio recipere: ita enim potest non baptizatus inuagari christum, sicut baptizatus, & ita potest abluere sicut baptizatus. Si autem loquamur de potestate non simpliciter, sed ministeriali, hoc est per quem aliquis fit conveniens minister alicujus principalis agentis, & sine illa potestate non esset conveniens minister principalis agentis; (\*) talis potestas non oportet quod sit forma absoluta; immo sufficit in multis, quod sit tantummodo relatio rationis quod probatur secundum eos, quia Episcopatum non dicunt esse ordinem ultra Sacerdotium, & tamen Episcopus habet potestatem talem ministerialem; quam non habet non Episcopus; est enim conveniens minister in aliquo actu, cui Deus assistit, ut in actu ordinandi, & non similiter assistent, si alter non Episcopus exequeretur similem actum. Consimiliter constituitur iudex; si iterum sententiam, sententia tenet; prius autem non tenuisset, quis sententia in non suo iudice lata nulla est ipso jure, nec tamen ille iudex, nec ille Episcopus habet aliquam formam absolutam realem, nec forte relativam; nisi tantum rationis, quam prius non habebat. Per illam enim relationem rationis, qua ipse a principio instituitur iudex, voluntas principis ratificat sententiam ab eo latam, & vult eam observari, non autem ratificat sententiam alterius non constituit iudicem, nec vult illam observari; & ita iste per illam habitudinem ad voluntatem principis habet potestatem ministerialem respectu principis, ut principalis agentis ad aliquem actum convenienter exequendum ministerialiter, quem sine tali relatione non potest convenienter exequi, & multo magis potest relatio realis, si inest; panni talis potestas convenienter exequendi ministerialiter aliquem actum: patet enim quod filius, qua filius, potest habere aliquam auctoritatem exequendi aliquem actum in domino patris, quem non potest non filius. Et iterum nepos habet aliquam auctoritatem exequendi aliquem actum, licet inferioriorem, quem non potest non nepos, & potestas illa sic vel sic praecipendi, vel imperandi non est, nisi cognatio, vel filiatio. Sic etiam apparet ad illas potestates, de quibus arguitur in speciali. Nam potestas ordina-

\* *Ib. dist. 24. hujus 4. art. 3. q. 2.*

ordinandi, & confirmandi, si est activa non est nisi ad ministrandum convenienter in tali actu tali domino, ut ipse ad actum minister. Item huiusmodi assistit operando principaliter eo modo, quo character fit nisi ministerio exhibito ab alio.

Character autem baptismalis si ponit potestatem passivam, non ponitur passiva, nec ut receptiva, neque ut ratio recipiendi; nihil enim absolute potest recipere anima baptizata, quod non possit recipere anima non baptizata: sed est potestas quaedam relativa de congruo ordinata a principali agente disponente agere in ipsam habens eam formam, & non in aliam passivam. Tali autem forma relativa de congruo respectu alicujus agentis principis vel ministerii potest esse sola relatio: sicut aliquid disponit agere aliquid in aliquid, quod habet, vel quia consanguineus, volens aliquid simile causare in non habente talem relationem.

Quarta vero ratio destruit primam. Si enim universaliter in aliis Sacramentis causaretur relatio nova ad actionem, vel passionem Sacramenti, & non character; ergo est ibi relatio nova sine absolute aliquo novo, nisi fugas in quolibet alio poni aliquid absolute correspondens characteri, utpote ornatum quendam; sed si ille ornatus est forma supernaturalis, erit indelebilis; eo modo quo character est indelebilis, quia non poterit habere causam demeritoriam; & tunc videtur fictio, quare non possit dici character, cum sit forma prior ipso effectu principali Sacramenti, & forma indelebilis: quare etiam ille ornatus non poterit habere effectum suum cessante fictione in aliis Sacramentis, sicut ponitur character in Sacramentis imprimebilibus characterem. Respondens ergo, quod ratio nihil probat, nisi quod character non est quaecumque relatio ad actionem, vel passionem Sacramenti: sicut si esset forma absoluta, non esset quaecumque absolute, quia in aliis Sacramentis secundum istos imprimitur aliqua forma absoluta, sed non character. Et propter hoc potest dici, quod non in quolibet alio Sacramento imprimitur aliqua relatio manens post actum: character autem si est relatio, manet post actum suscepti baptismi, immo semper. Non obstantibus ergo istis rationibus; quae non concludunt, ut visum est, potest dici characterem esse tantummodo quendam respectum extrinsecum adventientem ipsi animae causatum a Deo immediate in susceptione Sacramenti interabilis; quia sic ponendo saltem omnes conditiones salvantur, quae communiter attribuantur characteri.

Sed restant duo dubia. (a) Primum de fundamentum proximo illius relationis.

Aliud quomodo possunt characteres diversorum Sacramentorum distingui ab invicem. De primo videtur aliquid, quod a susceptione Sacramenti transiens in praeteritum esset proximum fundamentum, vel proxima ratio iudicandi istam relationem.

Sed istud est falsum specialiter in proposito, quia ratio iudicandi, & re-

a *Hac videtur esse intentio D. Th. 5. Met. c. de ad aliquid assignando fundamenta a secundum modi.*

& relatio sunt in eodem subiecto proximo: susceptio autem Sacramenti, & character, licet sint in eodem supposito, non tamen in eodem subiecto proximo, quia susceptio baptismi inicit secundum corpus, character secundum animam. Illud etiam esse generaliter falsum hic, & in aliis propter duo. Primum, quia non est non potest esse fundamentum, vel ratio iudicandi aliquam relationem realem, quia nec terminus: propter hoc enim ponitur contradictio relationi rationis, quia habet fundamentum, vel terminum, *negationem* actus autem transiens in præteritum, postquam transit, simpliciter non est: ergo postquam transit, nulla relatio realis transitur super eum. Hoc fundamentum patet, quia ad terminum immutabilem super fundamentum omnino immutabile, non potest fundari relatio, nisi simpliciter immutabilis, & etiam necessario inherens iudicamento. Unde si aliqua essentia creatura esset simpliciter immutabilis, relatio illius ad Deum esset simpliciter immutabilis; ergo si character dicat aliquam relationem ad Deum (de quo patet, quod est terminus immutabilis, & fundatur in actu, ut præteritus est, cum actus præteritus, ut præteritus, sit simpliciter necessarius, in tantum quod de potentia absoluta divina, non potest esse non præteritus.) Sequitur quod ista relatio realis esset omnino immutabilis, etiam loquendo de potentia Dei absoluta, hoc autem videtur inconvenient, quod aliqua sit relatio realis alia a fundamento suo, quam non possit Deus de potentia absoluta desere a fundamento suo, sicut posterius a priori, & ille due probationes ultimæ probant præteritatem non fundari super *genitiss.* Et sic adducit Philosophum contra hoc 5. *Metaph. c. de ad aliquid* Pater dicitur, eo quod generat. Respondeo, actus potuit esse causa in fieri ipsius relationis, & quidem quando iuxta causam, tunc relatio inherbat, sed non est causa in esse, sicut non manet manente relatione, fundamentum autem non tantum est causa in fieri relationis, sed in esse. Quid est ergo fundamentum præteritatis? Respondeo, fundamentum proximum est ipsa potentia generativa, si character ponatur relatio realis, ejus fundamentum proximum est ipsa nuda anima, sive essentia, sive potentia (de hoc in sequenti questione) quia respectus extrinsecus adveniens potest fundari super fundamentum, ex cuius principiis nullo modo egrediarit; nec fundamentum ejus proximum oportet determinari ad illum aliquo modo ex ratione sua propria, quia tunc non esset respectus extrinsecus adveniens, sed tantum determinatur ad illum ab ipso agente, sic in proposito. Ad secundum dubium dico, quod sic character si poneretur forma absoluta, diceretur distingui characteres seipsum formaliter, ita si ponatur respectus illi, licet ab extrinsecis possint distingui extrinsece, tamen formaliter distinguuntur seipsum. Sed si quæras, quare ergo sunt tantum tres characteres? Respondeo, quia de hoc non faciam mentionem specialem in materia de Confirmatione, vel Ordine, ideo dico quod hoc potest patere per simile in politicis istis mundanis; nul-

lus enim habet determinatum gradum in familia regis, quia comedit vel bibit, nec quia post offensam, dominus reconciliatur sibi, nec quia multiplicat periculis in ista policia: nam isti actus communes possunt esse omnibus in quocunque gradu: sed illum gradum habet proficere, & constituitur ut miles ad defendendum rempublicam, alium quando constituitur ut superans sub domino ad constituendum alios in gradibus determinatis in sua familia, utpote aliquid Senescalus generalis vel inmodicus sub domino, cui commissa est autoritas universalis ad recipiendum alios in familia domini. Et ideo si esset nomen impositum quod significaret gradum in familia vel balivatum non diceretur habere gradum, vel dignitatem aliquam, quia accedens ad mensuram, vel quia conjugatus, vel quia rediens ad gratiam post offensam: sed diceretur tantum habere gradum qui de populo esset assumptus in familiam domini; & ultraiorem gradum qui in familia constitueretur ad defendendum domum, vel dominum; & ultraiorem qui constitueretur, tanquam præpositus ad recipiendum alios ad familiam, & instructum interioris. Sic in proposito tria Sacramenta scilicet Eucharistia, ad nutritionem spiritualem, Matrimonium ad procreationem corporalem, penitentia ad reconciliationem annualem, in nullo ergo gradu constituitur in Ecclesia, imo possunt esse communes omni membro Ecclesie in quocunque gradu. Sed primus gradus in Ecclesia, & quidem universalissimus est recipi in familiam Christi, quod fit in baptismo. Secundus specialis in malitiam ad deificationem idem Christiane, quod fit in Confirmatione. Tertius constituit in patrem, & pitorem ad introducendum alios in Ecclesiam, & ad dirigendum, & ad instruendum eos, quod fit in Ordine. Et sicut in policia illa non congruit illas tres dignitates iterari, scilicet receptionem in familiam, promotionem ad militiam, & prælationem ad doctrinam, bene tamen iterari possunt nutritio, & procreatio, & reconciliatio; ita in proposito tria Sacramenta non decet iterari, alia autem iterantur, & in non iterandis gradus interitabilis acquiritur, & character dicitur, in iterandis autem non.

Ad questionem potest dici quod sicut non potest probari aliquam formam realem imprimi in susceptione baptismi aliam a gratia, & virtutibus, & hoc neque per rationem naturalem, neque etiam per rationem evidentem ex creditis manifestis: ita non potest probari characterem, si ponatur forma realis, esse formam absolutam realem vel respectivam, quia utriusque salvari potest, quod sit, scilicet forma respectiva, sicut jam ostensum est, vel quod sit forma realis absoluta. Si ponatur, non potest evidenter improbari: quædam enim sunt satis rationabiliter concedenda de characteribus, si ponatur esse, utpote quod est forma spirituales impressa a Deo cuiuscumque suscipientis sacramentum non iterabilis. Et quod ex institutione divine esset iterabilis significat gratiam illius Sacramenti, & quod disponat ad eam, sicut declaratum est in questione precedente, quia est in eodem susceptivo, & ab eodem agente & forma prior, & impericior: hoc quod in dele

delet illi cum non habeat causam demeritoriam corruptivam. Et quod fit signum memorativum respectu susceptionis Sacramenti, quae prae-  
terit, & signum configurativum, id est signum obligationem animae  
ad Christum. Quod etiam fit forma, a similitudine aeterni suscipiendi Sa-  
cramentum, & ab alio distinctiva, qui non suscipit. Haec omnia, qua-  
videntur rationaliter concedenda de characteris, si ponatur forma  
realis absoluta, possunt salvari, si ponatur respectus realis per modum  
praedictum, sicut fit est forma absoluta realis. Si autem ponatur re-  
spectus realis dictum esse prius, qualiter ista salvabuntur, & qualis  
respectus sit, quia extrinsecus adveniens. Sed si ponatur forma abso-  
luta, necesse est dicere quod pertinet ad genus qualitatis: nec oportet  
declarare quomodo omnes illae conditiones sibi conveniant, quia  
satis patet. Sed tunc est dubium in qua specie qualitatis debeat poni?  
Dicitur, quod quia est qualitas supernaturalis, non oportet quod  
ponatur in genere qualitatis secundum Philosophum. 10. *Metaph.*  
*Corruptibile & incorruptibile differunt plus quam secundum genus: 3*  
*natura vero & supernaturalis differunt plus quam corruptibile & incor-*  
*ruptibile, quia corruptibile & incorruptibile continentur sub uno mem-*  
*bro, scilicet sub naturali: ergo multo magis naturale & supernatu-*  
*rale plus differunt quam secundum genus. Contra, fides, spes, &*  
*charitas sunt supernaturalia quaedam, & tamen conceduntur esse pro-*  
*priae in genere qualitatis. Hoc idem patet aliter, quia naturalitas &*  
*supernaturalitas non sunt conditiones nisi per comparationem ad agen-*  
*tis: talis autem comparatio non variat aliquid, quantum ad esse in gene-*  
*re, quia aliquid ponitur in genere secundum suam propriam quiddi-*  
*tatem formalem circumscripta relatione ad agens. Nec valet dictum*  
*Philosophi. 10. Metaph. quia loquitur de genere Physico: sic enim*  
*nulla duo sunt ejusdem generis, nisi sint transmutabilia ad invicem:*  
*sed idem genus logicum bene potest continere multa, quae non per-*  
*tinent ad idem genus physicum, ut patet de substantia corporata & in-*  
*corporea, & de qualitate corporali & spiritali. Aliter dicitur quod*  
*secundum quod est principium configurandi potest poni in quarta spe-*  
*cie Qualitatis: secundum autem quod est principium assimilandi, po-*  
*ni potest in tertia: & ut est potentia quaedam, in secunda: & ut est*  
*dispositio ad gratiam, in prima, quae est dispositio, in quantum ve-*  
*ro immobiliter permanens, in prima, quae est habitus. Sed hoc non*  
*valet, quia est potest habere multas proprietates, secundum quas*  
*assimiletur formis diversarum specierum Qualitatis, tamen non pot-*  
*est esse in se tot quidditative. Non enim est in se nisi una quidditas*  
*simpliciter: ergo tantum erit in una specie. Verum tamen istud pos-*  
*set habere aliquam probabilitatem de una alia forma, quia secundum*  
*veritatem illa divisio Qualitatis in quatuor species non est proprie ge-*  
*neris in species, sed est tantum secundum quosdam modos diversos*  
*convenientis diversis qualitatibus. Et forte eidem qualitati in se secun-*  
*dum essentiam possent competere plures modi, qui ponuntur in diversis*  
*qualitatibus. Aliter dicitur, quod est in quarta specie Qualitatis,*  
*quia est figura quaedam spiritalis. Sed hoc nihil est, quia nihil collo-*

catur

carur in genere per proprietates metaphoricis, alioquin Christus esset  
vere in genere substantiae inanimatae, quia dicitur *Petra*: & esset in  
genere animalis irrationalis, quia *Leo* dicitur metaphoricis: & in ge-  
nere qualitatis, quia dicitur *lux*. *Ego sum lux mundi*: &c. Sed  
ex metaphoricis colligenda est propria conditio rei in se, & secundum  
illam collocanda est in genere & specie: sicut potest species intelligen-  
tialis poni in quarta specie Qualitatis, quia con figurat animam ipsi  
obiecto cognito. Respondet ergo, quod si ponatur accedens abso-  
lutum, potest poni in secunda specie Qualitatis, vel etiam in prima:  
nec alterum istorum potest evidenter improbari. Si enim arguitur sic  
non est in secunda specie, quae est potentia, quia est supernaturalis,  
& ad illam speciem secundam non pertinet nisi potentia naturalis:  
Hoc nihil est, quia est Philosophus non loquebatur, nisi de potentia  
naturali exemplificando: tamen potentia supernaturalis si est abso-  
luta, & accidentalis, & spiritalis, bene potest pertinere ad idem  
genus intermedium sub qualitate cum potentia naturali: sic & habi-  
tus supernaturalis ponitur pertinere ad idem genus intermedium  
cum habitu naturali. Si etiam ponatur in prima specie ut habitus,  
quia de difficili mobilis, non potest improbari. Si autem contra hoc  
arguitur, quia est potentia supernaturalis, ergo non habitus: & conse-  
quentia probatur per simile, quia potentia naturalis non est habitus  
naturalis. Et secundo, quia est dispositio ad gratiam, ergo non est  
habitus. Et tertio, quia omnis habitus disponit ad bene vel ad male  
agendum. 2. *Eth.* sed character non. Et quarto, quia omnis habi-  
tus disponit ad faciliter operandum ex eodem. 2. *Eth.* character autem  
non. Haec non concludunt. Primum non, quia potest habitus  
supernaturalis ut est forma supernaturalis de difficili mobilis esse prin-  
cipium agendi, vel resistendi corruptivo, & sic habere rationem poten-  
tiae supernaturalis. Nec simile illud valet, quia habitus naturalis  
dicitur quaedam facilitationem inducunt super potentiam naturalem,  
quia potentia naturalis est, quia naturaliter possimus agere, quos pos-  
sumus: sed potentia potest esse aliqua supernaturalis forma spiritalis  
immobilis, & pro tanto potest dici habitus. & tamen est principium  
quo possimus in talem actum spirituale, vel supernaturalem. Secun-  
dum vero non cogit, quia bene potest esse unus habitus dispositio ad  
alium, sicut secundum distinguentes habitum principii ab habitu con-  
clusionis, habitus principii disponit ad habitum conclusionis, nec per  
hoc est dispositio ut distinguitur contra habitum in prima specie: nam  
illa est qualitas de facili mobilis per oppositum ad habitum. Tertium  
de bene & male non est necessarium, quia aliquis potest esse agens in-  
differens, sicut enim ex frequenter bene agere, acquiritur habitus  
inclinans ad bene agendum, & ex frequenter male agere, inclinans  
ad male agendum: sic ex frequenter agere absolute, acquiritur habi-  
litas ad agendum tali actione, neque cum bonitate, neque cum  
malitia: sicut nec agens generativus fuit talis scilicet bonus, vel ma-  
lus; hoc patet: potest enim aliquis frequenter considerans Geome-  
triam habere facilitatem magnam ad considerandum conclusionem in

113

illa scientia: nec est ibi habitus bonus, vel malus, sicut nec actus ex quo generabatur: sic & in habitu supernaturali potest esse. Et si dicitur, quod habitus supernaturalis non est talis, quia datur ad perfectionem recipiatis. Respondeo, habitus supernaturalis potest esse dispositio ad actum bonum, licet non sit ejus principium elicivum proximum, vel sufficiens: & hoc modo fides infusa non est principium sufficiens elicivum actum credendi: nec charitas infusa elicivum actum diligendi: sed inclinans, ut concurrentibus aliis necessariis actus bonus elicatur, & ita dico quod aliquis habitus supernaturalis potest remotius & imperfectius inclinare ad actum bonum: & talis ponitur character, tanquam primo & remotissime dispositio ad bonos actus. Illud autem quantum de facilitate, nihil valet, quia non est verum nisi de habitu acquisito: habitus enim infusus non datur facilitate ad actum, ut patet de noviter converso, cui non est facile post conversionem actus bonos elicere, sed difficile, quousque ex frequentatione actuum bonorum acquirat aliquam virtutem acquisitam.

Ad argumenta ad utranque partem. Ad primum, & ponitur forma absoluta, potest poni vel potentia, vel habitus secundum duas vias jam dictas. Ad secundum patet, in qua specie Qualitatis poneretur, & qualiter. Ad aliud, quantitas est forma absoluta, & tamen non ponitur activa: oportet ergo exponere quod habeat operationem respectu ejus, cuius sit sufficiens principium, vel quod aliquo modo se habeat ad operationem: & sic concedo in proposito, quod illa forma est dispositio remota ad operationem. Ad quartum patet ex fine questionis precedentis. Ad primum in oppositum, non est inconveniens aliquam relationem disponere ad formam absolutam, loquendo de dispositione non respectu agentis naturalis: nec quae sit ratio receptivi: sed de dispositione convenienti respectu agentis supernaturalis, hoc est per quam habens illam est convenienter natum pati a tali agente, quia & isto modo potest relatio esse dispositio respectu cuiuscuque agentis voluntarii, sicut aliquis voluntarie habet habitum pro convenienti objecto five passo aliusque actionis: alium autem non sine tali relatione habet pro convenienti passo, licet aequalis sit in omnibus absolute sibi. Ad aliud de similitudine, patet quomodo similitudo non tantum fundatur super qualitatem ut est genus distinctum, sed ut generaliter invenitur in omnibus formis ratio ejus, hoc enim modo mentaliter crucifixus, potest dici similis Christo crucifixo corporaliter.

### QUESTIO XI.

Utrum character sit in essentia anime, vel in aliqua potentia, & in qua?

**A**ultimum sic proceditur. Et arguitur quod character non sit in essentia anime, ut in proximo subiecto, quia dispositio & forma ad quam disponitur, habent idem subiectum proximum. Character est proxima dispositio ad fidem, fides autem est in intellectu. Contra, ex eadem maiore cum hac minore, character est proxima dispositio

ad

ad gratiam. **G**ratia est in essentia anime sicut vita, quia ejusdem est vita prima, & secunda: ergo character est in essentia anime, sicut gratia ad quam disponitur, quae est vita spiritalis.

**H**ic est opinio quod sicut gratia est in essentia anime (a) sic potentia ad gratiam est in potentia anime. Character autem est potentialis dispositio proxima ad gratiam: ergo in potentia anime est ut in subiecto proximo: sed non est in qualiter potentia anime, quia tunc non esset una forma: ergo est in unica potentia, sed magis rationabile est ponere quod in intellectu: cuius ratio est quia character est ad configurandam Trinitatem creatam Trinitati increatae: Trinitas autem creata five imago consistit principaliter in intellectu, quia ex eo, sicut ex radice oritur voluntas. Contra, quia dispositio ad formam nunquam est in posteriori susceptivo formae (patet dicendo pro singulari formas & dispositiones earum) sed character est dispositio ad gratiam, ut concedis, & gratia est in essentia anime: per te: ergo character non potest esse in aliquo susceptivo posteriori ipsa essentia anime: sed per te potentia est posterior essentia anime, quia est accidens ejus. Nec valet ratio, vel consequentia, quia dicitur, gratia est in essentia anime: ergo potentia, vel dispositio ad gratiam est in potentia anime. Immo sequitur oppositum scilicet, vel quod ipsum est susceptivum gratiae (ut susceptivum dispositionis), vel saltem dispositio illa non potest esse in aliquo posteriori, in illo, quo est forma: Hoc etiam patet in aliis, quia habitus supernaturalis non est in habitu naturali, sed in potentia naturali, in qua est habitus naturalis: & hoc ideo quia potentia naturalis est prior, utroque habitu. Item probatur quia probatur gratiam esse in essentia anime immediate, non concludit, quia perfectio naturalis prior inest alicui, quam perfectio, vel potentia supernaturalis: nam perfectio naturalis & intrinseca sequitur statim naturam sui perfectibilis: potentia autem est sit accidens secundum eum, tamen est perfectio intrinseca ipsius anime: ergo prius naturaliter inest anime ipsa potentia quam gratia, & per consequens potest habere rationem subiecti receptivi respectu gratiae. Nec concludit illud de vita, quia vita spiritalis prius inest ipsi anime, ut est conjungibilis Deo: unde secundum Aug. de Civit. Dei. Quia propter hoc dicitur vita anime, quia vita anime non est nisi in conjunctione ejus ad Deum, ut ad obiectum: anima autem non est conjungibilis Deo in ratione obiecti nisi per potentiam. Quod postea de voluntate addit, quod ipsa oritur ex intellectu: quare, aut intellectus habet ad voluntatem tantum prioritatem generationis, five originis, & ex hoc non ponitur perfectio in intellectu respectu voluntatis, sed imperfectio, quia universaliter imperfectiora procedunt per se. Cetero ordinem generationis q. *Metaphys.* (b) Si autem intelligas, quod intellectus sit prior, vel radix respectu voluntatis, tanquam eminenter, vel virtutem.

Tom. IV.

L

tu-

a D. Tho. dist. 44. ar. 1. 3. Hoc idem Alex. & Bon. & Ric. ubi supra vide Farr. q. 3. quod. D. Tho. dist. 16. l. lib. D. Tho. l. parte jun. q. 77. ar. 6. (b) T. com. 15.

tuiter continens voluntatem; hec improbatu ex dictis, quia ordinatum ad alterum, ut prius originem, non continet ipsum eminenter vel virtualiter, alius autem intellectus ordinatur essentialiter ad actum voluntatis; & si hoc neges, de hoc disputandum est in materia de beatitudine inferis.

Dico ergo ad questionem supponendo hoc, quod declaratum est. 2. lib. dist. 16. (a) scilicet de gratia, quod est idem cum charitate, & per consequens, est primo in potentia; scilicet in voluntate; & vltimus quod ista dispositio ad formam est in eodem susceptivo cum forma; character autem fit ponatur in esse, convenienter ponitur dispositio ad gratiam sacramentalem; ut offensum est in solutione precedens questionis de characteris in prima congruentia: ergo congruum est ponere characterem formaliter in voluntate. Et hoc confirmatur, quia si character est signum, vel fundamentum obligationis anime ad Deum, rationale est, quod ponatur in illa potentia, cuius est primo obligari, vel esse rationem obligandi; talis autem est voluntas, quia praece per ejus actum aliquis se obligat principaliter: illa enim qua concurret sibi ex parte intellectus, vel alterius potentie, vel aliter voluntatis, praeambula ad summum velle, quod est rationaliter proponere vel vovere; vel quaedam signa manifestantia illud esse firmum. Ad argumentum in oppositum, patet, quod character non est dispositio proxima ad fidem, ut fides est, sed est dispositio ad illam perfectionem, qua principaliter conformatur totam animam Deo, & haec est gratia quae est eadem cum charitate, & in voluntate, ut dictum est. Ad rationem alterius positionis dico, quod quamvis male probetur quod character sit in potentia anime, tamen concedo hoc propter aliud antecedens, quod accipit, scilicet quod forma ad quam disponit est potentia: & concedo, quod in una, & in illa qua est principalior in imagine, in cuius figuracione consistit principaliter tota figuratio anime, vel imaginis ad Trinitatem. Ex dictis, & in distinct. 3. usque huc, potest colligi una ratio baptismi exprimens omniam, quae sunt simpliciter necessaria ad rationem baptismi; quia si ponamus relationem illam signi, quam importat baptismus, fundari in illa abluicione, ut in fundamento totali, habente tamen habitudinem ad verba, & illa concomitantia, potest talis ratio assignari ipsius baptismi: (b) Baptismus est ablutio hominis vivantis aliquoties consentientis vel libero arbitrio nunquam usq. facta in aqua elementari fluida, ab alio simul abluente & verba certa, actum, & suscipientem cum invocatione Trinitatis designantia presente, tam in abluendo, quam in proferendo intendente facere, quos Christus instituit faciendum; vel quod intendit facere Ecclesia Christiana, efficaciter signans: ex institutione divina abluicionem animae a peccato.

Particulae hujus rationis patent sic: (c) Ablutio distinct. 3. quae 3.

(a) Dist. 46. q. 3. (b) Definitio baptismi notabilis resoluta.  
(c) Doctrina mirabilis Doc. subtilis, & expositio particularum  
definitiois assignata.

non dico peritio, nec asperio, nec immerio, & hoc vel trina, vel unica, quia quolibet su ficit ad veritatem Sacramenti. Sed manifeste tenetur servare modum & Elegerit, in qua baptizatur. *Homini* & secundum totum corpus, vel partem principalem, vel quancunque in casu necessitatis, ut patet *distinctio 2. questione 2. Aliqualiter consentientis* patet *ex eadem dist. quae 4.* Et facte non sufficit secundum communem opinionem habitualiter consentiente sine virtuali consensu: tamen illud est dubium, qui minor consentis sufficit ad susceptionem Sacramenti; quam ad meritum; sed ad meritum sufficit virtualis consentis. Similiter quod non utens ratione: sit simpliciter capax Sacramenti: non habens aliquam dispositionem; & tamen utens ratione non habens illam nullo modo sit capax, non videtur probabile: quia illa dispositio videtur simpliciter necessario requisita; vel non requiritur propter usum rationis; vel non usum. *Facta in aqua* &c. patet *dist. 3. quae 3.* Per hoc autem quod dicitur *elementari*, excluditur quicumque humor mixtus, qui dicitur equivocare aqua, ut aqua foecale. Per hoc, quod dicitur *fluida*, excluditur aqua congelata, si manet aqua, vel qualitercumque mixta per juxta positionem corporum grossorum, ut non possit abluere. *Facta ab alio* patet *dist. 6. quae 4.* Et similiter illa quae sequuntur: *Simul abluente & proferente* &c. patet *dist. 6. quae 3.* Quod ultimo additur *habente intentionem* &c. patet *dist. 6. q. 5. & 6.* Et sic habemus tam suscipientem quam conditiones necessarias in suscipiente, quia hominem viotorem aliquoties consentientem. Habemus consentientem & conditiones necessarias ex parte ejus, scilicet quod sit abluens, & verba proferens, & hoc simul & debite intendens. Habemus materiam, quia est ablutio in aqua elementari. Habemus formam, quae verba certa exprimentia actum, & suscipientem cum invocatione Trinitatis. Habemus id quod pertinet ad rationem formalem baptismi, scilicet, quia ex institutione divina efficaciter signans. Habemus correlativum, quia abluicionem anime a peccato. Si autem ponatur relationem, quam importat baptismus, non fundari in abluicione, ut in fundamento totali, sed in abluicione & verbis tantum, in uno fundamento instituto ad signandum effectum unum, tunc potest poni ratio baptismi talis completa.

(a) Baptismus est Sacramentum abluicionis anime a peccato; consistens in abluicione hominis vivantis aliquoties consentientis, vel libero arbitrio nunquam usq. facta in aqua elementari fluida, cum prolatione verborum, actum, & suscipientem, & ministerium cum invocatione Trinitatis designantium ab alio simul abluente & verba ista proferente & intendente facere, quos facit Ecclesia Christiana. Et tunc eadem est ibi expositio particularum istius rationis; quae huc & proteris, nisi quod in ista ponitur primum illud quod pertinet ad formalem rationem baptismi; cum dicitur *Sacramentum*; & correlativum ejus, cum dicitur *abluicionis*; & possessa illa quae pertinet

non ad fundamentum; cum dicitur *consistent* &c. nec est differentia nisi quia non ponitur totale fundamentum istius relationis utroque modo idem. Utrouque tamen modo idem principaliter importatur, quia sive per solam ablationem, sive per aquam, scilicet ablationem & verba, sunt tamen ambo unum ignum integrum institutum quidem principaliter ad signandum principale integrum istius igni, scilicet ut abluatur anima a peccato, & hoc a Deo trini & uno, in cuius nomine baptizatur, cui est gloria in secula seculorum. Amen.

DISTINCTIO VII.

Postquam Magister egit de primo Sacramento, scilicet de baptismo, hic agit de secundo, scilicet de Sacramento Confirmationis. Et dividitur in duas partes, scilicet in proterum, & tractatum, qui incipit ibi: (*Forma enim*.) Et ille tractatus dividitur in quatuor partes. Primo namque determinat de loci Sacramento. Secundo de ministro ibi: (*Hoc Sacramentum ab aliis*). Tertio de effectu ibi: (*Virtus autem*). Quarto de conditione quadam in suscipiente, & conferente pertinentem ad reverentiam Sacramenti ibi: (*Hoc Sacramentum tantum a jejuniis*). Quinto & ultimo de inalterabilitate hujus Sacramenti ibi: (*Nec debet iterari*).

QUÆSTIO I.

Quid sit Sacramentum Confirmationis, & de materia, & forma, de suscipiente, & ministro, & de conditionibus requisitis in conferente, & suscipiente hoc Sacramentum.

Circa istam distinctionem possent multa quæri proportionaliter illis, quæ quaerita sunt de baptismo: sed præmitto quandam rationem Sacramenti hujus, ex qua patet solutio multarum quararum omnium. Et supponendo, quod relationis, quæ est formale in hoc Sacramento, fundamentum totale sit unctio determinata cum conditionibus multis aliis requisitis; potest assignari ratio talis: *Confirmatio, seu Sacramentum Confirmationis est unctio hominis viatoris, digna acriter consentientis, vel libero arbitrio nunquam usque facta in fronte, in figura Crucis, cum chrismate sanctificato, & hoc a ministro idoneo simul cum intentione debita inurgente, & verba certa proferentis, significans efficaciter ex institutione divina unitatem animæ per gratiam roborantem ad consentiendum cum constantia fidei Christi.* Hic patet, quæ sit hujus Sacramenti materia: quia sic potest distingui de materia, sicut distinctum est de materia in baptismo distinct. 3. q. 3. Materia proxima, id est illud visibile, quod concurre in fundamento, est unctio, facta in fronte in figura crucis, cum chrismate sanctificato. Materia autem remotæ est christina compositum ex oleo olivæ, & balsamo, & sanctificatum specialiter ab Episcopo, vel ab alio, cui talis sanctificatio poterit committi. Forma est talis: Signu

vel configno te signa crucis, confirmo te chrismate salutis, vel sanctificationis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Sum scipiens est homo viator, aliquoties consentiens, quod intelligendum est sicut de baptismo, ut patet distinct. 4. Sed hic tantum suscipiens est secundaria determinatum partem, propter quod additur in fronte. Minister est Episcopus, vel alius cui committi poterit, ideo dicitur in generali a ministro idoneo. Ex parte ministri requiritur similitas in faciendo utrumque actum, scilicet unctiois & prolationis forme, & etiam debita intentio, quæ omnia debent intelligi, sicut expositum est de ministro in baptismo dist. 6. Quæ adduntur, significans efficaciter &c. dicant illud quod formale est in isto Sacramento. Et quod ultimo additur *unctorum interioreum*, signat cor factivum illius relationis, quæ est formale in isto Sacramento. Et si obijciatur primo contra materiam, & formam simul, quia Christus non de instituit, ut patet Joann. 20. quando insuflavit, & dedit discipulis Spiritum sanctum. Et similiter *Ab. 2.* quando misso Spiritu sancto in linguis igneis confirmabantur: nec etiam Apostoli tali forma utebantur vel materia, ut patet in *Actibus*, sed impositione manuum. Si secundo obijciatur specialiter contra materiam, quia non oportet eam esse christinam consecratam, quia nec in baptismo necessaria est aqua consecrata, & sufficit enim quæcumque aqua.

Si tertio obijciatur, quod sacerdos communis potest istud Sacramentum conferre juxta illud *dist. 65. Perennis*, & ponitur in littera, ubi Greg. Janatio Episc. scribit. *Perennis ad nos, quosdam scandalizatos fuisse, eo quod Presbyteros tangere chrismate eos qui baptizati sunt prohibuitur.* Et sequitur, *si omnino de hac re aliqui convincerentur, ubi Episcopi deus, ut Presbyteri etiam in frontibus baptizatos chrismate tangere debeant, concedimus.* Ad primum istorum dicendum, quod Christus non aligavit potentiam suam Sacramentis, & ideo ipse, sive in terris, sive post ascensionem in celo existens, potuit confirmare Apostolos sine tali materia, & tali forma. Cum Apostolis etiam in primitiva Ecclesia potuit dispensare, & maxime, quia in Confirmatione ab eis collata erant aliqua signa sensibilia, puta communiter descensus Spiritus Sancti super confirmatos, & donum linguarum; sed tamen cessantibus talibus miraculis ministri debuerunt hanc materiam, & hanc formam servare. Supponitur enim institutum esse a Deo, licet tunc, & modis hujus institutionis in Scriptura non legatur, forte quia Historiographi Scripturam usque ad tempus illud non produxerant: non enim produxerunt ultra tempus Apostolorum, nec etiam usque ad plures annos ante mortem eorum: toto autem tempore Apostolorum forte mansit donum linguarum in Sacramento Confirmationis: nec est improbabile multa esse tradita autoritative a Christo Ecclesie per Apostolos, quæ tamen in Scriptura non legimus, ut dicit Damasc. *lib. 4. tit. c. 4.* ubi loquens de adoratione imaginum, ait: *Est autem nobis tradita ista traditio, quæ modo modum oportet ad Orientem adorare crucem, & altera plurime his similia.* Ad secundum dicendum, quod